



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Brisgoiæ, 1665**

98. Vrsitivs negat sub iuramento, se fuisse domum aliquam ingressum, in qua tamen reuera fuit, rectè æquiucatione vsus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40942**



non potest statui, quando inconsideratio à peccato excuset, quando non, sed relinquatur res planè inexplicabilis, & mille obnoxia scrupulis.

Vnde ad *primum* in contrarium dicimus, Venereum etiam nec potuisse, nec debuisse scire, cum neque scrupulus, neque dubitatio occurreret, quæ est prima radix investigandi. Ad *secundum* negamus consequentiam cum Azor. L. 1. c. 16. q. 5. Bonac. D. 2. de peccat. q. 8. p. 3. n. 3. Palao Tr. 2. D. 1. p. 15. n. 6. & alijs, cum non omnia, quæ Iuris naturæ sunt, ex certis circumstantijs italumini naturæ clara sint, vt toto etiam vitæ tempore ignorari nequeant, vt patet in præcepto vnus vxoris, & perpetuitate matrimonij, & alijs, quæ affert Vasquez D. cit. c. 2. Pro vniuersali igitur, & longè vtilissimâ regulâ de advertentia ad peccatum sic statuimus cum Arriag. loc. cit. Si intellectus, dñ peccat, malitiam ac prohibitionem rei nec cognoscit, nec de ea dubitat, nec reflexè advertit, se teneri ad inquirendum aut dubitandum, num res illa mala ac prohibita sit, non potest vllum incurri peccatum.

XCVIII. *Vrsicius honesti negotij causâ domum suspectam intravit, ibiq; de eo suspecta fœminæ fuit locutus. Huius ingressus delatus ad superiorem, & sub iuramento interrogatus, an domum illam fuisset ingressus, ibique fœminæ locutus, iurat, se hoc non fecisse, subintelligendo tacitè, inhonestæ rei causa.*



*causâ. Queritur. Vtrum Vrsicius licitè æquiuo-  
catione fuerit vsus?*

Videtur malè æquiuocasse. Ita Sotus, Ca-  
ietan. Arragon. & alij apud Less. *de Iust. c. 42.  
n. 47.* quia oratio illa, quæ exterius profer-  
tur, est falsa.

Resp. Vrsicium benè ac licitè æquiuocâs-  
se. Ita Tolet. *L. 4. c. 21.* & plures alij, quos ci-  
tant & sequuntur Less. *loc. cit.* & Lugo *de Iust.*  
*D. 40. num. 4.* Nam quoties superior aut Iu-  
dex iuramentum expetunt ex præsumptione  
delicti & ignorantia veritatis, non petunt, si  
hoc ipsis constaret, licitè adhibetur æquiuo-  
catio, aut absolutè negatur. Atqui hoc fit in  
proposito. Ergo &c. Confirmatur hæc re-  
sponso ex vniuersali illa regula, quâ ad pro-  
positum Diana *P. 3. Tr. 5. Resol. 66. ex Portel.*  
& alijs statuit in hunc modum: *Quotiescunq;  
factum externum contra legem excusatur à pecca-  
to propter aliquam circumstantiam, potest roga-  
tus iuridicè de eo sub iuramento illud negare, in-  
telligendo de crimine criminoso, seu de ope-  
re, quod fuerit peccatum.*

Ad rationem in contrarium dicimus, in  
tali casu non teneri Vrsicium totam mentem  
suam circa rem, de qua interrogatur, aperire.  
Ergo non tenetur omnia verba exprimere,  
quibus ea aperiatur. Ergo oratio exterior non  
est falsa, quia nec est difformis obiecto suo,  
nec contra mentem loquentis. Tamen  
tem



tē is, qui in vero aliquo sensu iurat, sed alio, quàm alter intelligit, non fit periurus in foro conscientię, peccat tamen grauitè, si absque sufficiente causa aut necessitate sic iuret; vnde doctrina hæc cum grano salis adhibenda, ne, quod saluti datum, in perniciem vertatur.

XCIX. *Zelpha ancilla Christiana occultè deprehendit Balam conseruam suam cum alio domestico in turpi flagitio, quod statim Hero denunciat. Queritur. Vtrum licitè hoc faciat?*

Videtur non facere licitè, quia agit contra legem & ordinem Charitatis præscriptum à Christo *Matth. 18.* Confirmatur. Non potest sic denunciare Dominam suam in adulterio deprehensam, ergo nec conseruam in simili scelere conspectam.

Resp. Rectè fecisse Zelpham. Ita Caietan. 22. *Q. 73. art. 2.* Molin. *Tr. 4. D. 29.* Nauarr. Layman alij. Ratio est. Tum quia Paterfamilias (idem est de Præceptore respectu studiosorum) habet ius puniendi suorū crimina ad conseruandam disciplinam domesticam, idque ex denunciatione vnus fidelis. Tum quia talis delatio domesticorum fit sine graui infamiâ.

Vnde ad *primum* in contrarium dicimus, præuiam monitionem in hoc casu necessariam non esse, tum ob consuetudinem, tum ob exiguam infamiam inde sequi solitâ. Ad *secundum* negamus consequentiam ob contrariam rationem,

rationem,